DE EXUTORIIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

H. V. THEODORUS HUPERZ

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

C. RAUSCHENBUSCH, med. et chir. Cand.

A. ABARBANELL, med. et chir. Dr.

B. HIRTE, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

AVUNCULO

OPTIMO, DILECTISEIO

JOH. JOS. KELLETER,

NEC NON

AMICO

C A R I S S I M O

HENRICO MARBAISE

MEDICO PRACTICO

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Nomine exutorii quodque ulcus, sive superficiale sive sit in inferioribus cutis partibus situm, intelligimus, quod sanandi causa effecimus atque sustinemus. Ita enim a Jacobo Leroy (1), qui primus medio praeterito saeculo hoc nomen in artem medicam introduxit, intellectum est. Complures autem scriptores longius progressi sunt omniaque remedia, quae sanguinis affluxum ad corporis aliquam partem augere possunt, nomine exutorii complectuntur, exempli gratia: rubefacientia, balnea, vestimenta lanea, alia.

Quod autem pertinet ad remedia, quibus exutorium effici potest, nihil obstat, quin tres classes discernamus; exutorium enim cauteriis et actualibus et potentialibus et cultro inducimus. Ad primam ferrum candens, moxa, aqua fervida, fonticulus igne productus pertinent; ad secundam fonticulus cauterio potentiali ortus, caustica, cortex Mezerei, cantharides; ad tertiam fonticulus cultro factus et setaceum.

Quamvis omnia haec remedia multum differunt ratione,

---

(1) Essai sur l'usage et les effets de l'écorce de garou, ou traité des exutoires.

qua cutem afficiunt, tamen omnino in duas classes distribui queunt, prout nempe leviter modo cutem laedunt, aut plane destruunt. Quatenus haec aut illa indicata sint, suo loco disseremus. Discernenda igitur sunt exutoria superficialia, ut cortice Mezerei et cantharidibus procreata, et profunda, quo in numero habendae sunt ulcerationes, quae Kali caustico, ferro candente et cultro efficiuntur.

Vetustissima certe ratio exutorii procreandi ignis est; antiquissimis enim jam temporibus Sinensibus, Aegyptiis et Scythis ejus virtutes notae fuerunt. A Scythis ad Graecos usus pervenit. Celsus de ferri candentis usu in coxalgia verba facit: „Ultimum est, et in veteribus quoque morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis super coxam, cutem candentibus ferramentis exulcerare..... Cum vero saepe aliquid exulcerandum candenti ferramento sit, ut materia inutilis evocetur, illud perpetuum est, non, ut primum fieri potest, hujus generis ulcera sanare; sed ea trahere, donec id vitium, cui per haec opitulamur, conquiescat" (1). Sed praeter ferrum candens etiam moxa administrarunt veteres. Ignis applicatio semper magis magisque in arte medica in usum venit, ita ut apud Arabes, qui omnino, ne graviter in organismum agerent, timebant, coleretur et eo magis quidem, quod saepissime cultri loco adhiberi posset.

Exeunte saeculo decimo quinto, quum ars chemica magnos fecisset progressus, caustica in ignis locum successe-

(1) Celsus de medicina l. IV. c. 22.

runt (1), quorum non multa veteribus nota fuisse videntur. Dioscorides de Cupro sulphurico et Arsenici praeparatis loquitur; Arabes Hydrargyro muriatico corrosivo et oxydato rubro usi sunt. Severinus et Kaempher denuo medicorum attentionem ad ignis virtutes adverterunt, et Louis, Labissière, Pouteau, Percy exeunte saeculo superiore aequales eo deduxerunt, ut magis magisque cauterium actuale causticis praeferrent. Eodem fere tempore (1773) Leroy librum de usu corticis Mezerei edidit. Fonticulorum usus aeque antiquis medicis notus fuit. Hippocrates, Celsus, Galenus, Avicenna, Rhazes eorum mentionem faciunt. Setaceum Galenus primus adhibuisse videtur, derivandi et revolvendi causa autem Rhazes primum instituit.

(1) B. G. Schreger Grundriss der chirurgischen Operationen. Bd. II. S. 404. Nürnberg 1825.

DE EXUTORIORUM EFFECTU.

Quomodo afficiant locum, cui applicantur.

Exutoriorum effectus localis et primitivus et secundarius apparet. Ille pendet a remediis, quibus ad exutorium procreandum utimur. Magni dolores sequuntur ea remedia, quae velociter et vehementer cutem afficiunt, ut aquam fervidam, ferrum candens, oleum sinapeos, ita quidem, ut hominibus irritabilibus insomnia febrisque superveniat; quodsi remedium lente et minus vehementer cutem laedit, omnino nulla aut levis modo reactio consequitur, quae plane praetermittenda est. Quae res nos saepius docebit, quod remedium sit eligendum ad procreandum ulcus artificiale. Attamen hic effectus primitivus, qui omnibus, quae cutem irritant, remediis plus minusve communis est, a nobis describendus non est, sed solus secundarius. Quoties modo dictis remediis epidermis et pars corii laesa est, serum fibrinosum secernitur, quod post aliquod tempus in pus transit (1). Quae exsudatio purisque

(1) Die Eiterbildung zerfällt in zwei durchaus von einander verschiedene Momente. Der erste ist die Absonderung einer Flüssigkeit, eines Cytoblastems, aus welchem der Eiter hervorgeht; der zweite die Bildung der Eiterkörperchen in und aus diesem Cytoblastem. J. Vogel. Pathologische Anatomie. Abth. I. S. 116. Leipzig 1845.

formatio eo largior fit, quo magis inferiores cutis partes deletae sunt. Quo fit, ut exutorium, quod ferro candenti aut forti cauterio potentiali ortum est, densius largiusque pus offerat, quam superficiale, quod serum magis liquidum et rara puris corpuscula continens secernit; quare saepius, ut purulenta indoles maneat augeaturque, ad remedia irritantia confugiendum est. Inde et ille effectus obtinetur, ut plurimis hominibus irritatio vehemens et pruritus, qui non exiguam exhibet aegrotanti molestiam, oriatur. Irritatio efficit ruborem erysipelatosum circum exutorium et non raro tumorem vicinarum glandularum lymphaticarum. Quodsi remedia suppuratoria pertinent ad certa quaedam organa, hoc etiam applicandi modo hic effectus exhibetur. Quare adnotamus, qualem vim emplastrum cantharidum exserat in vesicam urinariam, qualem unguentum Tartari Stibiati in scrotum (1).

Quomodo afficiant totum organismum.

Quo tempore plerique medici eam rationem sequebantur, qua morbus cujusque generis e mutatis corporis humoribus oritur (Humeralpathologie), exutoria inter praecipua remedia habebantur ad nocentes humores e corpore removendos. Exutoriis saepe alienam, ab organismo receptam materiam attrahi atque iterum secerni posse, Guersent observasse videtur. In secandis cadaveribus exhalationes ab his evaporatas recipere et per anum removere solemus. Ille noster se observasse contendit, pus exutorii hominis, quoties hic cadavera secuerit, ipsam hanc exhalationem accepisse (2). Attamen

---

(1) Annal. et bullet. de la société de Gand. 1842. p. 54

(2) Dict. de Médecine art. Exutoire.

nunquam ita exutoriis abusi sunt, ut quique illius temporis optimi medici venaesectione et remediis purgantibus. Quum pathologia humoralis non amplius valeret, et haec opinio de exutoriorum vi simul relicta meliori cessit. Quae omnibus communis est vis consistit in continua materiae organicae consumtione et nova quidem secretione, quibus impeditur, quominus materia secreta novos procreet morbos. Ex iis, quae supra de locali exutoriorum effectu adnotavimus, evidenter apparet, qualitativam oriri sanguinis mutationem. Quum enim pus conformetur ex fibrina, hanc sanguinis partem simulque vim plasticam exutorium minuit; minime vero, ut nonnulli contendunt, vim incitantem, quae a plerisque physiologis adscribitur corpusculis sanguinis et ab oxygenio adhaerente pendet; videmus enim, sanguinem venosum vi incitanti carere (1). Itaque exutoria ad remedia debilitantia numeranda sunt, quia omnem vegetationem ac reproductionem et minuunt et coercent.

Porro exutoria, quum nova cum corpore secernendi organa communicent, nonnullas secretiones abnormes ratione vicaria coërcere, tollere et sarcire possunt. Commemoremus utilitatem praecipuam, quam assecuta sunt in morbis sanandis exanthematicis chronicis. Praeterea et derivant et revellunt non solum a proxima vicinia, sed etiam a partibus remotioribus. Nutritio nec non reproductio partium vicinarum, imprimis si nimis auctae sunt, exutoriis coërceri et diminui, simul etiam, quod attinet ad qualitatem, ad normam reduci possunt.

---

(1) Bock Handbuch der Anatomie des Menschen. Bd. I S. 616.

Organorum hypertrophia eorumque ipsae degenerationes, si nimis diffusae non sunt. nonnunquam exutorio ad involutionem adiguntur (1). Ita enim, ut exemplum proponamus, strumam lymphaticam sanari posse constat setaceo applicato, quo in materia degenerata inflammatio provocatur et materia ipsa in pus conversa liquefit (2).

Quum porro cutis exutorio irritetur, ipsaque irritatio sustineatur, morbi ab organis ad aliud ignobilius organum (cutem) deduci possunt. Ipsa natura hanc sanandi viam sequi nos docuit. Videmus enim interdum morbum organi interioris evanescere, ubi exanthema in cute apparet, viceque versa exanthemate depulso morbum interioris partis oriri. Difficile vero est intellectu, qua in re consistant hae mutuae morborum conditiones. Omnes hucusque de iis prolatae explicandi rationes nil sunt, nisi hypotheses, quae omni destituuntur argumento. Sufficiat igitur adnotare, irritatione antagonistica morbum saepissime depelli posse (3).

Restat, ut dicamus de exutoriorum vi prophylactica. Si optimo jure licet judicare, diathesin morbosam inesse alicui organo, experientia nos multis exemplis edocet, exutoria quam saepissime applicata esse, ut impediatur, quominus affectiones chronicae aliaeque revertantur. Exutoria autem tum modo

(1) Handbuch der speciellen Heilmittellehre von C. Sundelin. Bd. I S. 60. Reutlingen 1832.

(2) Handbuch der Chirurgie von M. J. Chelius. Bd. II Abthlg. II S. 428. Heidelberg und Leipzig 1844.

(3) Confer. de antagonismo. Dict. de Médecine art. Dérivative et Joh. Mueller Physiologie Bd. I S. 455.

vim prophylacticam vere exercere videntur, cum affectiones, quae, quominus oriantur, impediendae sunt, nonnisi locales sunt; nam exutoria salutaria esse adversus causas morborum endemicorum epidemicorumque et vim prophylacticam habere in morbos contagiosos non satis experientia probatur.

Quod attinet ad tempus, per quod exutorium valet, quo diutius organismus ei assuefactus, eo minus vis ejus manifesta est; nam quo longius tempus permansit, eo minus morborum pericula ejus ope evitari possunt, eo infirmiorem excitat reactionem. Necesse igitur est, exutorium renovemus aut aliud alio genere commutemus, quod diutius sustineatur, si convenit.

Liceat nobis et haec de exutoriorum vi addere. Ut quodque inter ulcus naturale, cui organismus assuefactus est, ita et inter exutorium et hominem ratio quaedam intercedit. Nam si omnes functiones feliciter procedunt, exutorii suppuratio larga, benigna, dolorum expers est; quodsi vero organismus leviter turbatur, exutorium dolores excitat, tumescit, suppuratio mutatur quod pertinet ad qualitatem et quantitatem. Qui consensus sympathicus exutorii cum ceteris organis eo explicari potest, quod exutoria vera organismo inducta organa sunt; qui quidem consensus eo validior est, quo diutius ulcus perstitit.

Inter omnia, quibus exutorium procreatur, remedia ferrum candens et moxa primum locum obtinent. Quorum applicatio vehementissimum, totum organismum corripientem dolorem infert, ita ut aegrotanti saepissime febris superveniat, crusta quae oritur crassa, post nonnullos dies humorum affluxu adaucto de-

cidit et suppurationem largam benignamque relinquit (1). Ferro candenti omnia haec enumerata majore gradu adscribenda sunt quam moxae. Vehementius momento applicationis organismum movet, largius irritat, altius partes molles diruit; moxa autem superficialem quidem, sed per longum temporis spatium durantem irritationem excitat. Ignis igitur nunquam ad exutorium procreandum adhibendus est sensibilitate adaucta, apud infantes tempore lactationis et primae dentitionis, in nullis denique morbis, qui cum inflammatione hypersthenica conjuncti sunt.

De setaceo hoc loco notandum est, id praeter inflammationem quoque suppurationem per aliquod tempus durantem efficere, itaque aut derivare aut organon secretorium restituere debere. Ab exutoriis igne factis praesertim eo differt, quod momento applicationis minus vehementer organismum turbat, sed mitiorem et longe durantem irritationem efficit. Omnino

---

(1) „Das Brennen bewirkt ausser der Zerstörung eine sehr kräftige Reizung, die in der vegetativen Sphäre Entzündung und Eiterung, in der irritabeln stärkere Muskelcontraktion, in der sensibeln Schmerz und ein energischeres Leitungsvermögen der Nerven zur Folge hat, Wirkungen, die sich mehr oder weniger über den ganzen Organismus verbreiten und das aktuelle Cauterium von dem potentiellen oder dem Aetzmittel unterscheiden. Letzteres wirkt durch chemische Desorganisation und beschränkt seine Wirkung fast ganz auf die berührte Stelle, in deren Umfange die Lebensthätigkeit wenig angeregt und weder eine genuine Entzündung noch eine immer gutartige Eiterung erzeugt wird.“ Blasius: Lehrbuch der Akiurgie. S. 111. Halle 1846.

ejus effectus inter ignem et quae sequuntur remedia medium tenet.

Fonticulum cultro, igni, emplastro vesicatorio, aqua fervida, cortice Mezerei exstruere possumus. Plurimis in casibus cultro utimur; si autem aegrotus cultrum perhorrescit, emplastrum vesicatorium aut causticum adhibendum est. Emplastri vesicatorii applicatione gravissimi dolores exhibentur, priusquam fonticulus ortus est (Dict. de Médec. art. Fonticule).

A remediis modo enumeratis caustica eo differunt, quod organismum minus irritando, quam suppuratione, sed non semper benigna, movent. Inter singula magnum est discrimen (1).

---

(1) „Das Gemeinsame aller Aetzmittel ist die Zerstörung der organischen Faser, aber das ist auch beinahe das Einzige, da jedes Mittel anders wirkt und seine besondere Wirkungssphäre hat, wodurch ihm eine besondere Eigenthümlichkeit aufgedrückt wird. Das Aetzmittel geht mit der zerstörten Faser eine Verbindung ein und bildet damit einen trockenen oder feuchten sulzigen Brandschorf; eine lebhafte Entzündung an der Grenze des Abgestorbenen, durch die Demarkationslinie bezeichnet, leitet die Trennung des Todten von dem Lebenden ein; der Brandschorf stösst sich los und eine längere oder kürzere Zeit dauernde Eiterung folgt. Die Schmerzen, welche das Aetzmittel verursacht sind nach der Verschiedenheit der angewandten Substanzen verschieden, bald heftiger, bald gelinder, aber andauernder, die Grösse des Brandschorfes differirt ebenso, da manche Mittel sich auf den Ort ihrer

Plurimis in casibus ad exutorium procreandum kali causticum adhibere solemus, saepissime cum calce viva conjunctum (causticum Viennense). Argentum nitricum fusum minus vehementer exedit, praesertim inferiores cutis partes. E ceteris causticis, quae fere omnia in locum kali caustici substitui possunt, liquor Stibii muriatici (butyrum Antimonii) et Zincum chloratum propter efficacissimam quam in materiam organicam exserunt vim nominanda sunt (1). Unguentum Tartari stibiati, olim saepius quam nostra aetate abhibitum, quum nonnulli eo

---

Anwendung beschränken, oder sich weiter verbreiten; die Tiefe, in welcher die einzelnen Mittel wirken, richtet sich nach ihrer Intensität: und auch die Qualität der Eiterung ist verschieden, so wie auch die Narbe manche Eigenthümlichkeit darbietet. Zwischen dem cauterium actuale, der Zerstörung des Organischen durch Hitze, und dem cauterium potentiale, der Zerstörung des Organischen durch chemisch wirkende Agentien, besteht ein grosser Unterschied, den schon Fienus und Fabricius ab Aquapendente hervorgehoben, neuerdings von Rust klar hingestellt wurde. Die Aetzmittel wirken langsam, das Organische allmählig destruirend, sie bilden einen feuchten Brandschorf, sie sphacelhren; die Wirkung der Aetzmittel ist auf den Ort ihrer Anwendung beschränkt, und nur secundär ziehen sie den übrigen Körper in Mitleidenschaft, die Entzündung ist meist asthenisch; der Brandschorf ist meist weich und sulzig und stösst sich nur langsam ab; die Eiterung ist meist, wenigstens im Anfange, destruktiv, wird aber bei vielen sehr bald productiv." R. Schindler, die Lehre von den unblutigen Operationen. Bd. II. S. 139. Leipzig 1844.

(1) Pereira Handbuch der Heilmittellehre. Bd. I S. 762.

adhibito nauseam vomitumque (1), alii malam suppurationem, ancipitem exulcerationem, imo etiam sphacelum observarint (2), repudiandum videtur. Attamen multi prospero successu eo usi sunt.

Cortex Mezerei complures dies applicari debet, priusquam exutorium efficit, quod saepe convenit. Attamen ejus applicatio multa incommoda fert; pruritum enim vehementem et in vicinia pustulas exhibet. Itaque plurimis in casibus aliud remedium praeferendum est (3).

Restat, ut de methodo, a Percy interdum prospero cum eventu adhibita, qua ulcus syphiliticum inficit, dicamus. Percy enim tum demum in morbo syphilitico inveterato Hydrargyrum cum fructu sese praebuisse tradit, cum aegrotus denuo veneno infectus esset. Qua de re Ricord dicit: „Wenn sich auch Percy zu seinen Versuchen Gluck wünschen konnte, und wenn wir zuweilen sehen, dass bei Kranken, wenn sie wegen frischer Zufälle behandelt wurden, bis daher hartnäckig gebliebene alte Symptome heilen, so sind diese Resultate doch nicht sicher und constant genug, um zu einer solchen Praxis rathen zu dürfen. Dass man sich eine neue Krankheit, welche sich der Kranke selbst zugezogen hat, zu Nutzen mache, um ihn

---

(1) Pereira l. c. Bd. I S. 648.

(2) Plagge Handbuch der Pharmakodynamik. S. 549.

(3) Dict. de Médecine art. Daphne Mezereum.

von einer alten zu heilen, ist ganz in der Ordnung; ihm aber selbst eine Ansteckung, deren primäre Folgen nicht genau bestimmt werden können, anzurathen, liesse sich doch beim heutigen Stande der Wissenschaft nicht eine rationelle Methode nennen (1).

DE EXUTORIORUM USU.

Priusquam singula perscrutamur morbi genera, in quibus exutoriis feliciter utimur, de applicandi ratione quaedam praemittenda mihi videntur. Ut therapia quam maximum fructum exutoriorum ex administratione capiat, necesse est, certas et experientia probatas regulas generales ne ommittamus.

Exutoria tum modo sese utilia praebent, si aegrotus, cui ea applicaturi sumus, aut omnino nulla, aut saltem exigua febri laborat. Si morbus decursum habet febris hecticae, si sudor colliquativus copiosaeque alvi evacuationes eum committantur, si aegrotus celeriter macrescit, exutorium, exhaustis omnino reliquis viribus, certissime mortem adduceret. Magnum igitur errorem committeret medicus, qui in extremo morbi stadio hoc remedium adhiberet. Praeterea inclinatio solvendi, dyscrasia scorbutica et putrida contraindicationem exutorii applicandi praebent, quum facillime ulcus gangraenosum oriri possit.

Aptum tempus ad exutorium procreandum in omni qui-

(1) Ricord, Untersuchungen über die Anwendung der Inoculation. Aus d. Franz. Reutlingen 1838. S. 117.

dem morbo multum differt; tamen in universum id tempus aptum haberi potest, ubi inflammationis reactio remediis antiphlogisticis satis evanuit.

Respiciendus etiam locus est, quo exutorium applicaturi sumus. Secundum derivandi regulas convenit ut, si morbus nondum inveteravit neque altum gradum consecutus est, ulcus artificiale a sede mali loco remoto procreemus. Quodsi contrarium exsistit, praeferendum est, ut exutorium quam proxime ad ipsam mali sedem applicemus. Ubi morbi causa in eo consistit, quod exanthema recessit, aut ulcus suppressum est, experientia docemur, effectum fortiorem fieri, si exutorium in sedem primitivam applicamus. Magni quoque momenti est, ne rationem, quae inter extremitates superiores et thoracem, inter inferiores et ea, quae sub diaphragmate posita sunt organa, interesse videtur ommittamus. Neque ignoramus, ob sympathicam, quae inter omnia in eodem corporis latere posita organa interest rationem, exutorii applicati vim fortiorem fieri in latere organi affecti, quam in contrario.

Quando exutorium superficiale, quando profundum provocandum sit, quod sequitur praeceptum generale nos ducat. Superficialia praesertim multum valent in chronicis inflammationibus cutis, tunicarum mucosarum et serosarum, contra profunda in morbis organorum parenchymatosorum praeferenda sunt. Hujusce generis ea, quae kali caustico et ferro candenti procreantur ulcera majorem vim exercere, experientia nobis magistra est (1). Quotiescunque ut morbus depellatur inveteratus, aut ne saepe iteratae affectiones reveniant, exuto-

(1) Guersent l. c.

rium applicemus, tamdiu sustinendum est, quam causa, cur procreatum est, exsistit et aegroti constitutio non mutata est. Quae causa si omnino tolli non potest, ulcus artificiale per totam vitam sustinendum est; quod e contrario prout res sese habent, morbo penitus sanato, serius ocius ut evanescat faciamus. Sine detrimento exutorio paulo ante certa evolutionum stadia, qualia sunt pubertas aliaque, cicatrix induci potest, quod hisce periodis generales organismus consequitur mutationes. Aetate provecta nunquam tollenda sunt (1). Sed et hic cautio adhibenda est quam maxima. Ubi exutorium modica irritatione locali, quae saepius reversa est, commitatur prudenter agimus, si ipso morbo sanato ulcus retinemus, quum illo sublato metus adsit, ne organismus denuo turbetur (2). Si convenit exutorio cicatricem inducere, et lente et gradatim hoc fiat necesse est; plurimis in casibus idoneum videbitur, secretionem repressam ita supplere, et medicaminibus purgativis mitioribus alvum per nonnullos dies moveamus et balneis vestimentisque laneis sudorem eliceamus.

In omnibus fere morbis chronicis medici exutoriis usi sunt, sed multis certe in casibus sine ullo emolumento. Quid, ut exemplum proponamus, prosunt in hydrope saccato et tumoribus cysticis, qui propter propriis, quibus inclusi sunt, membranis, non amplius cum organismo cohaerent? Tum vere sese utilia praebent, si vitae potentiae in morbi decursum agunt.

Quibus praemissis, varia morborum genera, in quibus ex-

(1) Sundelin l. c.

(2) Guersent l. c.

utoria usum praebere possunt, enumeranda sunt. Congestiones sanguinis ad cerebrum, cor, pulmones, organa abdominis; inflammationes chronicae oculorum, aurium, tracheae, bronchiorum, pulmonum, articulorum; rheumatismus chronicus et arthritis; exulcerationes organorum interiorum, phthises; morbi, qui secretionibus suppressis, et naturalibus et vitiosis, orti sunt; morbi systematis nervorum, epilepsia, chorea St. Viti, neuralgia; morbi, in quibus localis humorum evacuatio utilitatem praebet, vulnera animalium virulentorum morsu orta.

Quorum morborum nonnullos, in quibus exutoria praecipue valent, accuratius perscrutemur.

Multiplicem utilitatem praebent in tuberculosi cerebri et medullae spinalis, in casibus pertinacibus encephalopathiae rheumaticae (1) et arthriticae, in morbis secundariis inflammationis medullae spinalis ejusque tunicarum, quales sunt paralysis et hydrorrhachis incolumis (hydrops spinae dorsi).

Quibus in casibus omnia exutoriorum genera adhiberi possunt. Infrictiones unguenti tartari stibiati in cervice, capite et post aures; fonticulus, setaceum, moxae, ferrum candens. Ex periculis, quae hac de re Prichard fecit, fonticulus omnibus aliis praeferendus est. Prichard enim fonti-

(1) „Ist die Affection fieberlos und bekommt man sie gleich Anfangs zur Behandlung, so thun heftige Hautreize in der Nähe des leidenden Theiles, im Nacken die besten Dienste. Man wählt dazu das Pulver des tartarus stibiatus.“ Schoenlein spec. Path. und Ther. Bd. II S. 299.

culum in vertice ponit aut cauterio potentiali aut cultro. Fonticulum cultro factum praefert. Cute secundum suturam sagitalem a fronte usque ad occipitium incisa duae vel tres pisorum series immittuntur. Suppuratio, quae sequitur, largissima et derivatio efficacior est, quam quae aliis remediis producitur. In omnibus capitis morbis, in quibus derivatio antagonistica indicata est, et in iis, qui magno cum stupore et sensibilitate diminuta conjuncti sunt, haec methodus praestantissima est; affectiones autem, in quibus adaucta cerebri irritatio praevalet, hanc rationem contraindicant (1). Ferri candentis moxarumque applicatio magis in medullae spinalis quam cerebri morbis prodest, quum pericula, quae hac de re ab Haen instituit, anceps remedium verticis cauterisationem esse satis demonstrent.

In morbis systematis nervorum peripherici non minus exutoria valent: ut in neuralgiis nervi facialis, trigemini, ischiadici. Caelius Aurelianus, Severinus, Tulpius, Baug, Loder, Richter, Lange, Nadeau, Pascal, Pouteau, Cotunni, Fernel, Rulan, Frank, Thilenius, Larrey, Petrini, Kern, Barthez, Beydellet multique alii in malo ischiadico cauterio actuali prospero successu usi sunt.

Petrini in ischiade antica inter extensores hallucis et secundi digiti, in ischiade postica inter tendines quarti et quinti

---

(1) Lond. med. gazette vol. XVIII p. 814. „Holland rühmt ebenfalls diese kräftige Art der Revulsion in allen den Fällen, wo die Aufgabe ist auf dem kürzesten Wege eine Gegenwirkung auf das Gehirn anzubringen.“ Canstatt, Handbuch der med. Klinik. Bd. III. I S. 24.

digiti pedis cutem ferro candenti exulceravit. Eadem fere a Bodenmueller descripta et in stadio paralytico adhibenda ratio est. Parva boleti aridu pars inter hallucem et secundum, interdum etiam inter omnes digitos accenditur et in vulnere ustione facto ope unguenti digestivi pus movetur (1). De neuralgia nervi trigemini emplastro Tartari stibiati sanata Hausbrandt mentionem facit. Femina sexaginta annos nata complures annos faciei doloribus certo tempore recurrentibus semperque exardescentibus laborabat. In doloris impetu, nullo signo praenuntiato, faciei musculi distorquebantur et lateris affecti oculus clausus erat. In intervallis bene sese habebat mulier.

Causae morbi ignotae. Postquam permulta remedia, frictiones, narcotica, ferrum carbonicum aliaque sine ullo successu adhibita sunt, H. emplastrum Stibiatum, quo latus affectum contegeretur, praescripsit:

Rcp. Emplastri Resinae Pini unc. unam
Resinae Pini unc. dimid.
Tereb. Venet. unc. tres
Liquat. admisce
Tartari Stibiati unc. unam et dimid.

Viginti quatuor horis post aegrota dolorem urentem sensit, sed prosopalgia cessit. Emplastro post nonnullos dies ablato, totum faciei latus ulceribus impletum erat, quae paullatim unguento simpl. sanabantur. Ex quo tempore (post novem menses) nullus impetus secutus est.

In Chorea St. Viti quoque exutoria interdum utilissima

(1) Canstatt l. c Bd. III 1 p. 318.

sese praebent; et praesertim quidem infrictiones unguenti Tartari Stibiati secundum columnam vertebralem; alii (Hunter, Byrne, Johnson) infrictiones capitis suadent.

Magnam celebritatem assecuta sunt exutoria in sanando morbo illo horribili gravique, in epilepsia. Ut morbosa incitatio, priusquam cerebrum vel medullam spinalem attigerit, foras derivetur, in itinere, quod aura epileptica decurrit, secretionem instituere solemus. Quo remedio non solum in epilepsia peripherica, sed etiam in idiopathica utimur, quum ulcus artificiale impetus avertere et lenire posse experientia doceat. Secundum ea, quae hac de re Schoenlein et nonnulli alii observarunt, exutorii secreta eo tempore, quo antea impetus epilepticus apparuit, partes vicinas exedunt (1). Exutoriorum in sananda epilepsia applicatio inde orta esse videtur quod laesiones fortuitas, suppurationes, combustiones saepe vim benignam in morbi decursum exserere observavimus. Varia exutoriorum genera adhiberi possunt. Apud Sinenses

---

(1) „Merkwürdig ist der Einfluss des epileptischen Paroxysmus auf die Menge und Beschaffenheit des Sekrets im künstlich geschaffenen Sekretionsorgane. So sehen wir in einem Falle, zur Zeit wo der epileptische Anfall kommen sollte, eine dünnflüssige, scharfe, die umliegenden Theile in einen entzündlichen Zustand versetzende Flüssigkeit in grosser Menge vom Haarseile secerniren, und zwar mit günstigem Erfolge, so dass der epileptische Anfall unterblieb, wenn auch schon die Aufreizung begonnen hatte. Wenn dagegen keine Veränderung in Qualität und Quantität des Sekrets kommen sollte, dürfte von dieser Methode nichts zu erwarten und eine andere einzuschlagen sein." Schoenlein l. c. Bd. IV S. 202.

medici cutem juxta tendinem Achillis adurere, crustam inducere et filum per acum transmissum trajicere solent. Occipitium cauterizari Celsus jubet. „Quod ad medium vero pertinet, ultimum est.... ferro candente in occipitio et infra, qua summa vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, ut per ea perniciosus humor evadat (1)." Esquirol et Larrey moxis, juxta cervicem et columnam vertebralem applicatis, alii (Carteh, Creigston, Willis, Horn) setaceo et unguento tartari stibiati sive in nucham infricato, sive in locum, ubi aura epileptica originem ducit, utuntur.

Pectoris morborum, qui sunt plurimi, praecipue exstant laryngo- et tracheo-phthisis, in quibus curandis exutoria inter validissima adjuvantia numeranda sunt. Quibus in morbis non solum ad stasin removendam, sed etiam ad ulcerationem coercendam adhibentur. Attamen cautissime hoc fiat necesse est, et semper aegroti irritabilitas respiciatur. In imbecillis aegrotis, quorum colli integumenta tenuia sunt, vehemens irritamentum, prope laryngem adhibitum, irritationem congestionemque augere eaque ratione plus detrimenti quam emolumenti afferre potest. Quibus in casibus exutorium longinquius applicatum praeferendum est. Omnibus autem in ceteris casibus ulcus artificiale, quod ab organo laborante quam proxime abest, anteponimus. Canstatt et alii parvas moxas probant, quae crustis delapsis post singulas aut binas hebdomadas in altero colli latere renovantur; pariter ab iisdem medicis setaceum laudatur, quod inter cartilaginem cricoideam et inter thyreoideam applicetur.

(1) Celsus l. c. l. III c. 23.

Modo ad impediendum phthiseos tuberculosae incipientis progressum, modo ad pulmonis exulcerationes derivatione aut antagonismo curandas, modo ad inflammationes intercurrentes removendas exutoria in humero (Portal), inter scapulas (Mudge), in pectore (Schoenlein) ponenda commendantur. Sed non in omnibus tuberculosis generibus idem praebent emolumentum. Qua de re Schoenlein dicit: „Die topische Behandlung verlangt äussere Hautreize und Erregung künstlicher Secretionen an den Stellen, wo sich Tuberkel wollen. Am zweckmässigsten bedient man sich zu dem Ende der Moxen. Man unterhält nach Abfallen des Schorfes eine Fontanelle, brennt, wenn sich von Neuem Erscheinungen der Tuberkulose erheben, in der Nähe eine zweite Moxe ab, und unterhält nach Abfallen des Brandschorfes an ihrer Stelle eine Fontanelle, während man die erste zuheilen lässt, und wiederholt dieses Maneuvre, so lange die Symptome der Tuberkel noch nicht getilgt sind. Bei dieser Tuberkelform (gewöhnliche Tuberkeln) wirken Moxen äusserst vortheilhaft, nicht so bei den anderen Formen, am wenigsten bei der Hereditaria. Die Fontanelle muss Jahre lang unterhalten werden, ja es wird zweckmässig sein, dieselbe während des ganzen Lebens zu tragen, nur in geringerer Ausdehnung (1).“ In tuberculosi hereditaria corticem Mezerei commendat: „Neben den kalischen Mitteln wird die Seidelbastrinde angewendet. Daphne passt übrigens nicht für alle Formen, sie ist bei vielen sogar schädlich. Man wählt zur Applikation der Seidelbastrinde und zur Erzielung beständiger Sekretion durch dieselbe den Deltamuskel der leiden-

(1) L. c. Bd. III. S. 123.

den Seite.“ Ex oculorum morbis praecipue inflammationes chronicae exutoriorum applicationem postulant; modo post aures, modo ad cervicem, modo ad humerum. Si irritatio antagonistica, quae corpori quam paucissimos humores detrahat et saepius repetatur, saluti est, infrictiones unguenti Stibiati sufficiunt; ad efficiendam autem gravissimam irritationem Kali caustico, moxis, ferro candente utimur. Posterius utrumque remedium, si celerem et vehementem cauterii effectum molimur, adhibetur. Quibus remediis cauterizamus post aures, inter angulum maxillae inferioris et inter processum mastoideum, in vertice, quin etiam in fronte et temporibus, quando oculorum visus periclitatur et vehementissimis tantum remediis servari potest.

Denique de exutoriis in articulorum inflammationibus adhibendis sermonem faciamus. Si remediis antiphlogisticis morbi decursum impedire nequimus, (quod in secundo stadio fieri solet) caustica, setaceum, moxae, ferrum candens ultimum refugium praebent. De remediis hujus generis eligendis adhuc subjudice lis est. Roux (1) moxas, quum propter gravem dolorem, vehementem inflammationem et largam benignamque suppurationem multum polleant, praefert. Vulnus celeriter ad cicatricem perducit, idemque remedium, si fieri debet, renovat. Ford, Broddie et Larrey, si dolor nervi cruralis cursum sequitur, setaceum in regione inguinali per cutem transmissum commendant. Chelius in secundo morbi stadio fonticulum, in tertio moxas et ferrum candens probat. Rust, qui de hujus morbi natura recte intelligenda optime meruit, ferrum

(1) Dict. de Médecine art. tumeur.

candens omnibus aliis remediis praefert. Ferro candenti prismatico quatuor vel quinque strias articuli regione inurit, locum, quo fonticulum facturus est, ferri lata facie adurit, qua ratione crusta oritur, quae facillime in fonticulum mutari potest. Quae quidem ratio in Germania usitatissima est.

VITA.

Natus sum H. V. Theod. Huperz Aquisgrani die V m. April. anno MDCCCXXV patre Joh. Josepho, matre Maria Anna, e gente Kelleter, quos praematuro morte mihi ereptos lugeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis literarum elementis imbutus Gymnasium Aquisgranense, quod sub auspiciis Directoris Schoen, viri summe venerandi floret, per octo annos frequentavi. Testimonio maturitatis munitus anno hujus saeculi quadragesimo quinto die XVIII m. Octobr. almam literarum universitatem Frideric. Guilelmiam Rhenanam adii, ibique a Cl. Pluecker, Rectore t. t. magnifico, in civium academicorum numerum receptus, apud Cl. Kilian, gratiosi medicorum ordinis t. t. Decanum nomen professus sum. Postquam per quinque semestria scholis et philosophicis et medicis interfui hanc illustrem literarum sedem Berolinensem petii, ubi Rectore magnifico Cl. Mueller, Cl. Juengken, Decanus gratiosi medicorum ordinis maxime spectabilis, medicinae studiosorum numero me adscripsit.

Professores Cl., quorum scholis et exercitationibus practicis interfui, sunt:

Pluecker, Treviranus, Noeggerath, G. Bischof, beat. Goldfuss, Mayer, Weber, Budge, E. Bischoff, Heinrichs, Schaaffhausen, Naumann, Nasse, Kilian, Wutzer, Hoppe, Albers, Simon, Ascherson, Virchow, Romberg, Langenbeck, Angelstein, Schoenlein, Schmidt. Quibus viris omnibus, optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Calor animalis non sola respiratione oritur.
2. Placenta diutius remanens quam nonnullas horas post partum semper statimque est removenda.
3. Gonorrhoea non est morbus syphiliticus.
4. Phthisis pulmonum non insanabilis.
5. Certa virginitatis signa non exstant.
6. Unica lex est ratio.